

**De capitibus humeri luxatione et colli ejusdem fractura simultanea :
dissertatio anatomico-chirurgica.**

Contributors

Gallée, Pierre François, -1831.
Guyenot, Nicolas.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

[Paris] : Typis Michaelis Lambert, 1786.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/e4xd4sah>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

33.
**DE CAPITIS HUMERI
LUXATIONE**

ET COLLI EJUSDEM FRACTURA SIMULTANEA.

**DISSERTATIO
ANATOMICO-CHIRURGICA,**

*Die 12^a. Veneris Maii, anno 1786, à sesqui - secundâ post
meridiem ad septimam*

DISCUTIENDA.

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS;

PRO ACTU PUBLICO,


E T

SOLEMNI COOPTATIONE.




Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiae
Collegii, necnon Academiae Typographi, viâ Cythareâ.

M. D C C. L X X X V I.



ILLUSTRISSIMO ET NOBILI VIRO
D.D. JOANNI-BAPTISTÆ ANDOUILLE,
REGI A SECRETIORIBUS CONSILIIS,
CHIRURGO PRIMARIO,
ACADEMIÆ REGIÆ CHIRURGIÆ PRÆSIDI PERPETUO,
È REGIA SCIENTIARUM ACADEMIA, &c. &c. &c.
*Has laborum suorum primitias in perpetuum venerantis & gratiæ
animi monumentum*
DICAT, VOVET, CONSECRAT
P. F. GALLÉ.



DISSE

RATI

O

ANATOMICO-CHIRURGICA.

AVITAE incunabulis in intima corporis humani serpit
morbosa labes; crescit illud; crescit & illa; suos quælibet
ætas patitur manus: undequaque impendent ipsi inopinata pericu-
la; in Scyllam sæpè sæpiùs incidit Charybdim evitare cupiens;
vix quemquam alicujus accidentis reperias immunem: durum!
sed levius fit chirurgiâ. De his diversis affectionum præterna-
turalium speciebus differere non est animus: de luxatione capitis
Humeri, & colli ejusdem ossis fracturâ simultaneâ, hîc tantùm
agemus: antequâm autem ad specialia deveniamus, aliquid
de anatomiâ partis præmittendum est.

SCAPULAM inter & Cubitum, os Humeri situm est; figuram
habet cylindraceam; in corpus & extremitates dividitur.

EXTREMITAS superior caput obtinet crassum, hæmisphæri-
cum, cartilagine levigato, quâ parte in cavitatem glenoïdeam
recipitur, obductum; quæ cavitas est ellyptica, anterius obli-

4

què sita. Crusta cartilaginea maximè expolita hanc induit substantia fibrosa illam ambiens, è tendinibus musculorum bicipitis magnique anconæi præcipuè ortum ducens, capacitatem magnoperè auget. Infra caput reperitur contractura quæ collum vocatur, in recèns natorum ossibus cartilagineum, diùque idem remanet.

Propè cervicis partem superiorem duæ sunt tuberositates quarum una inferior & exterior crassa nuncupatur, altera anterior, parvaque dicitur: has inter sinuositas satis profunda bicipitalis dicta, jacet; extensa ad humeri corpus quod est cylindraceum, gibbosum externè, in quibusdam locis ob musculorum insertiones asperum, & ad continendam medullam intùs cavum.

In humeri extremitate inferiori facies anterior & convexa; altera posterior, & angustior duobus processibus separatae, nobis considerandæ sunt. Has subter plurimæ annotantur cavitates, ulnæ radiisque apophyses in flexione & extensione brachii inferioris, recipientes: condyli duo, quorum internus alter, alter verò externus, capitulum super quod radii sinus volvit, trochlea supra quam magna ulnæ cavitas Sigmoïdea movetur, hanc definiunt extremitatem.

Capsula valdè tenuis articulum humeri cum scapulâ ambit; circumferentia foveæ glenoïdeæ ex una parte annectitur; ex alterâ verò humeri collo, si sinuositatem suprà dictam excipias, in qua tendo bicipitis externus antequâm per articulationem transeat, recipitur: tunc enim hunc amplectitur descendens, illumque concomitatur usque ad fibram musculi rubram; deindè cum telâ cellulari confunditur.

Hanc articulationem arthrodialem cingunt & firmant plurimi fibrarum ligamentosarum fasciculi, muscularique non pauci, inter quos imprimis, suprà-spinatus, infrà - spinatus, teres-

minor, subscapularis, deltoïdes, teres-major, coracobrachialis, &c. annumerantur: ad eumdem scopum, binæ apophyses in summitate articuli existentes, inserviunt; harum una lata & externa ex scapulæ spinâ ortum dicit; acromion nominatur: altera ferè teres & interna, è collo omoplatæ nascens, coracoïdes dicitur.

Capsulæ internam superficiem irrorat mucus albuminosus, synovia dictus, ex quo exurgit illud linimentum quod articuli cavum lubricum reddit, ita ut bina ossium extrema, scapulæ scilicet & humeri, sine multo attritu ad se invicem moveri possint; moventur quidem majori cum facilitate & in omnī sensu, tum propter parvam cavitatis glenoïdeæ scapulæ capacitatem (relativè ad capitis humeri volumen) cùm propter magnam ligamentorum articuli laxitatem: eâ maximè de causâ sèpissimè evenit humeri cum scapulâ luxatio quam prolapsum ossis è suo acetabulo definimus.

Introrsum, extrorsum & antrorsum luxatur brachium, nec verò supernè, ratione habitâ processuum coracoïdes acromionque dictorum, nisi perfringantur. Hanc deorsum accidere ferè impossibile, ob tendinis longissimi anconæ positionem infrâ omoplatæ cervicem hærentis, minimamque costæ ejusdem ossis superficiem, in quam si incidat humeri caput, non potest quin statim vel à minima vi, vel à minimo motu ab eâ dimoveatur.

Vatiis ab auctoribus proptia harum-ce luxationum exponuntur signa, ex arbitrii motûs privatione, elongatione vel accurtatione membra luxati, comparatione illius in situ & figurâ cum integro & fano, difficultate talis vel talis motûs, &c. desumpta. Hoc autem nobis scire sufficiet ut, de quâ agimus, quâ rariissima species (a), evidenter dignoscatur. Manifesta

(a) Semel tamen hunc casum in praxi reperit harum scholarum Moderator doct. Botenuit, semelque curatio ei feliciter successit.

eminentia, dura, in illa parte in quam caput ossis excidit, tangatur, insignem verò cavitatem in eo articuli loco à quo recessit, dígito inquirentè senties: eminentia in tali vel tali parte existens, internam vel externam anterioremve luxationem indicabit: addantur præterea signa fracturæ colli ejusdem ossis, de quâ mox acturi sumus; tuncque non allucinabitur qui attentè perpenderit, facillimèquè vitabit errorem (de quo Galenus (a) propriâ calamitate edoctus & alii benè multi (b) loquuntur) in quem incident qui pro humeri luxatione, acromii à cla-

Percival Poot dit qu'il a vu des Praticiens causer la fracture du col de l'humérus, en voulant réduire cet os luxé à l'aide de la porte. *Poot sur les Luxations, trad. de M. Lassus, page 150.*

"(a) In palæstrâ lati scapularum ossis summitate diductâ, Magister intuitus partem superpositam humeri commissuræ, depresso, existimans humeri caput in alam excidisse; intentionem tentat atque impulsu: quæ quidem artificiosè agit; at cum sine ullo profectu operam perderet, arbitror peccati aliquid in impellendo; quamobrem alias adhiberi jubeo, qui cum ipso humerum & ab inferiori parte, & à contrariâ extendant: atque ipse integræ manus digitos, quantum possum, intrò-de-mitto ad humerum, qui excidisse videbatur, ut inditi inter latus & humeri caput ipsum impellerent: nihil autem inveniens in ala præter naturam, jubeo ut extendere cessent qui cum Magistro simul vim adhibebant, eo quod humeri caput non procidisset; hi vero existimantes fracti animi ob dolorem esse, hortantur, ut sibi me ipsum committam, nec ab extendendo desistunt; ita ut musculum avulsissent (quæ res, inquit Galenus, aliis jam accidit) nisi fortè alter advenisset, quii optimè noverat me nullo modo ob molliiem extendentes prohibere. Hic illos removet, ac me rogat quid mali sit, quidque faciendum censem. Respondeo summitem humeri esse diductam, eoque ad balneum, dum quæ ad curationem facerent, afferrentur, &c. Galenus in lib. Hypp. de artic. Comment. Vid. vid. interpr. pag. 260. alin. 2.

(b) Ce cas, dit M. Sabatier, s'est présenté à moi deux fois: la clavicule étoit remontée de plus d'un pouce; & si je m'en fusse tenu aux ag-

viculâ divulsi onem habent : jugulo enimverò externè luxato per musculi cucullaris fibras plus minusve sursùm trahitur ; elongantur ideo musculi deltoïdis fibræ quibus humeralis extremitas insertionem dat : tum liquet sub scapulæ vertice depressionem necessariò existere , cavi glenoïdei formam incautè consideranti effingentem.

Luxationis causæ vel internæ sunt , ut ligamentorum debilitas , muscularum convulsio seu paralysis , synoviæ abundantia nimia , variaque articulationis vitia ; vel externæ , ut casus , ictus , violenta membra extensio , quibus periculis maximoperè committitur brachium ; innumeris enim in vitæ circumstantiis scutum est hominis extremitas superior.

Luxatio vel est simplex , vel composita , complicatave vel recens vel antiqua.

De prognosi & luxationis curatiore tractabimus , ubi de prognosi & curatione fracturæ colli de qua nobis agendum supereft.

Fracturam cervicis Humeri dicimus ejusdem ossis in loco colli à vi externâ & contundente divisionem.

In simplicem compositam & complicatam recentem & veterem , ut & luxatio , dividitur.

Vel ossis fracti extrema à contactu recesserunt , vel non : de obliquâ fracturâ nec-non de illâ quæ ossis in parva fragmenta comminutione , complicatur , silebimus. De transversa & recenti , uno verbo de simpliciori , ne nimiùm vires ultra nostras fuscipiamus , disceptabimus.

Causæ externæ sunt ictus , lapsus , violentæ collisiones : causas internas non fuscipimus explanandas.

Plus minusve facilis est hujus fracturæ diagnosis , prout

parences , & que je n'eusse pas cherché la tête du l'humerus sous le creux de l'aisselle , j'aurois cru que l'humerus étoit luxé.... Sabatier , Traité complet d'Anatomie , 2. édit. , tom. I. pag. 169.

major vel minor est partium fractarum recessus, & in ratione accidentium.

Hæc ut certè cognoscatur, circa articulum, atrectationibus prudenter adhibitis, an ossis fracti extrema sentiantur, digitis inquirendum; hoc si non sufficiat, partem humeri inferiorem unâ manû, partem verò superiorem alterâ, amplectatus Chirurgus: tum hinc atque hinc placidè moveatur brachium; animadver- tendumque an motus ex infirmâ parte ad caput non transmit- tatur, an crepitus quidam ex collisione fragmentorum audiatur, aut infra caput immediate percipiatur. Qes si ita se habeat, non amplius ambigas: Colli fracturam adesse fidenter pronuntia: plura queris? signa luxationis capiti humeri suprà recensita in memoriam revoces; unius enim diagnosis alteram dilu- cidat.

Fracturæ & luxationis prognosis erit in ratione sitûs par- tium, accidentium, ætatis, idiosyncrasiarumque ægri: in hac autem summâ prudentiâ utendum, ne fama chirurgi periclitetur, si præsertim nihil metuendum pronuntiaverit.

Luxationis & fracturæ curatio in eo consistit, ut ossis partes in sedes naturales reponantur & reductæ contineantur, quod fit extensione, contra-extensione, coaptatione, deligatione & situ, ut accidentia præsentia debellentur, futuraque, quantum fieri potest, præcaveantur antiphlogisticis internis & externis, ut in libris de Arte agentibus videre est,

Unanimis fuit huc usquè auctorum consensus, de ordine adhibendo ut fractura & luxatio de quibus mentionem fa- cimus, curentur: juxta illos fractura primùm est reducenda, hâcque consolidatâ humeri caput in suam sedem reponendum; sic procedunt, ex eo quod, inquiunt, extensione vincenda sit muscularum resistentia, ut os elapsum in locum naturalem restituatur; quod esse non potest in primo instanti; nam hu- meri caput sufficientem non habet longitudinem ut vires exten- dentes ei applicentur: necesse est igitur ut cum ossis corpore

9

anteà consolidetur ; proindeque fracturæ curatio antequam luxationis repositio tentetur (a).

Apprimè tamen ex hac-ce praxi malorum iliadē suboriri posse , ipsos non latere poterat ; inter quæ partium vicinarum compressio , inflammations , vulneris capsulæ articularis sæpè sæpiùs laceratæ coalitio , synoviæ spissitudo , cavi glenoïdei coarctatio , annumeranda erant ; ex quibus omnibus reducendi retinendique capit is difficultas , aut potiùs impossibilitas , consequenter in extremitate haud sanabile vitium : his malis occurtere phlebotomiâ , diætâ , cataclysmis , impluviis , cataplasmatibusque emollientibus , frustrâ enitebantur ; quid enim , malo urgente , topica præstare poterant ? quid impedit quominus intrâ mensis spatiū & amplius , cavitatis glenoïdeæ vacuæ supercilia plus minusve versùs centrum coeant , glandulæ vel vasa , vel cartilagines intumescant ? Hoc prudentibus Chirurgis pensandum relinquo.

Forte-fortunâ eveniet ut talia remedia optatos successus semel obtineant ; sed heu ! quam rarissimi erunt tam felices eventus ; si que res ita sit ut manifestum est , nonne citiora requirienda esse auxiliâ , satis superque patet ? nonne rejicienda tam manca praxis , tam gravibus obnoxia malis ab eâ consequariis , si alia existit tutior , certior , minorem afferens dolorem ; omne quod secum trahit periculum alia , ferè auferens ? Quam propositio-nem nunc habemus explanandam.

Debitâ attentione anatomiam articuli non considerabant prac-tici ; in errorem exindè inducebantur ; magnum musculorum numerum Humeri caput ambientium annotabant ; horumque

(a) C'est l'unique moyen , dit Duverney , que l'on puisse tenter en cette rencontre ; il avoue que le succès en est douteux. *Maladies des os , tome I , page 134 .*

Cette méthode , dit M. Petit , ne réussit pas toujours , mais il n'y en a pas d'autre. *Maladies des os , tome I , page 58.*

resistentiam in capitis repositione superandam esse arbitrabantur: falsum sanè principium, undè illorum sinistra praxis. Nullis equidem muscularibus nec tendinosis fibris insertionem dat humeri caput: sint in exemplum tendines supra-spinati, infra-spinati, rotundi minoris subscapularisqne, utpotè faciliùs decipere valentium; atqui tamen ex illis nullus nec capiti nec collo quidem affigitur, tuberositatibus verò humeri de quibus suprà, ut ex anatomiâ patet: nulla igitur aut certè quam minima super hæc erit eorum actio, minimaque etiam vincenda erit resistentia: quid igitur obstaret cur capitis primùm, deindè fracturæ repositio fieret, ad hunc modum? (maximum aliundè infert periculum mora, operatio nullum.)

Ægro in sedili collocato, ex ministris unus corpus sustinebit, omoplatam manibus stabiendo; alter humerum perfractum suffulciet: tunc artis Magister de capitis luxati positione certus, hoc digitis unci modo contractis apprehendet, motibusque placido gradu & prudenter adhibitis, eadem viâ quâ elapsum est attrahet, haudque difficillimè (cum minima sint superanda obstacula) in cavitatem naturalem restituet, quod tactu & articulationis autopsiâ anatomicâ nosci facile.

His-ce peractis minister unus partem humeri superiorem manibus cinget firmabitque; unâ manu carpum circumdabit alter, humeri condylos fulciet alterâ, hic lèntè gradatimque extremitatem protendet, donec fractæ partes suprà se invicem non efferrantur; eodem tempore Chirurgus ut extensio desinatur imperabit; digitisque & manuum volis, in loco fracturæ jam anteà collocatis, ossis fragmenta in sedem naturalem blandè compellet; quæ operatio optimè successerit, si tactu nulla præternaturalis notetur inæqualitas, si membra conformati figura sit eadem ac anteà: osse fracto sic probè coaptato, membra immobilitatem præcipiet Chirurgus; ab alio ministro varias apparatus partes recipiet, cujus prima erit linteum albumine ovi obliniūm

oblinitum; in tertia parte superiori ponè & antè fissum oblique; satis latum ut fractum humerum circumdare possit, & ut extendatur è collo usque ad tertiam ejusdem ossis partem infimam sufficienter longum, super fractum humerum nudum applicabitur; duo superiora capita omoplatam magnumque pectoralem musculum decussando super scapulam erunt æqualiter extensa, brachium accuratè convolvēt inferiora: aliud linteum molle, albumine ovi etiam imbutum, pulvinaris instar, in alæ cavum, ad hunc implendum locabitur: plurima deinde stupæ pœxæ stamina albumine ovi similiter illinitæ, primum super linteum spargi debent, ita ut sex linearum circiter altitudinem ubique adæquent; quæ omnia super, quatuor spleniola oblongata ovi albumine delibuta (& sicut alia linteæ ut decet expressa) eamdem ac primam apparatus partem longitudinem habens, admovenda sunt ordine sequenti: unum erit anterius, posterius aliud, hoc exterius, interius illud, extremitate inferiori humeri tenūs à cervice directò protensa, si ultimum exceperis, quod in alæ sinu supernè terminatur: linteum eâdem omnino formâ eodemque modo extensiù ac primum, sed siccum, his omnibus superponetur.

Tunc demùm celebranda deligatio, mediante fasciâ trium digitorum transversorum latâ, quinque vel sex ulnarum, pro varietate partium deligandatum, longâ: bis primum propè humeri condylos convolvi poterit, deinceps circularibus parumper obliquis, nec parùm nec nimiùm adstrictis, usque ad alam superiùs ducenda; ibique in modum spicæ & quibusdam circumvolutionibus, corpus & humerum circa, hunc cum illo certè constabilientibus, terminanda fasciatio.... (a)

(a) Ad fusiōrem enarrationem adcas, tom. 4, Act. Acad. Reg. Chir. pag. 620.

Hâc operatione absolutâ, per mitellam suspendi debet brachium inferius, sat amplam ut illud omne sustineat, & in positione tali, ut cum osse humeri angulum exhibeat rectum.

Sic involuta relinquenda est extremitas, donec glutinatio quæ per spatum quadraginta dierum, consideratis considerandis, plerumque absolvetur, advenerit; attendendum tamen ut versùs curationis finem articulus quâm leniter moveatur & aquâ calida foveatur, ne rigescat.

Si accidentia superveniant, variis mediis ab auctoribus & suprà narratis, his medebitur.

Scopum propositum attigerimus, si quantò hæc nova methodus cæteris hactenùs usurpati præstet, inconcussis probaverimus argumentis.

*HANC DISSERTATIONEM, Deo juvante, & Praefide
M. NICOLAO GUYENOT, Artium & Chirurgiæ Magistro,
antiquo Collegii Præposito, Academia Regiæ Chirurgia Con-
siliario, necnon Fratris Regis, MONSIEUR, Chirурgo; tueri
conabitur PETRUS-FRANCISCUS GALLÉE, Dinannœus
apud Britones, Artium liberalium Magister, in almâ An-
degavenſi Facultate Doct̄or Medicus, nuper in Scholâ Practicâ
Chirurgiæ Alumnus, Theseos Aūtor.*

